



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Dico secundò: Verbum Divinum non terminavit primariò humanitatem, per subsistentiam absolutam & essentialem, prout est in Filio, seu ut illi appropriatam, & per relationem Verbi modificatam.

13. Probatur primò conclusio ex Concilio Tolentino supra citato, sic dicente: *Solus Filius assumpsit humanitatem in eo quod est proprium Filii*. At quamvis subsistentia absoluta Dei, ut modificata proprietate relativa Divini Verbi, dici possit & debeat aliquid ipsi appropriatum, non tamen dici potest aliquid ei proprium, sed hæc denotatio solum convenit proprietati relativa: Ergo id quod primariò naturam humanam terminavit, est solum proprietas relativa Divini Verbi, non verò subsistentia absoluta, etiam ut modificata relatione Verbi, seu ut illi appropriata.

14. Probatur secundò: Si persona Filii non terminaret humanitatem, per propriam & incommunicabilem subsistentiam, sed per absolutam & communem, ut appropriatam Verbo; non posset persona Verbi, ut a Patre & Spiritu Sancto distincta, dici terminare humanitatem: sed hoc erroneum est, ut patet ex dictis conclusionibus præcedentibus: Ergo & illud. Sequela Majoris probatur: Quia enim virtus creandi non est propria Filio, sed illi communis cum aliis personis, non potest ut appropriata Filio, seu ut modificata per relationem filiationis, aliquid creare, nisi Pater & Spiritus Sanctus simul creent. Ergo pariter cum subsistentia absoluta, sit aliquid commune tribus personis Sanctissimæ Trinitatis, non poterit Filius per talem subsistentiam, etiam ipsi appropriatam, & per relationem filiationis modificatam, terminare substantialiter humanitatem, nisi etiam aliæ personæ illam substantialiter terminent.

15. Probatur tertio conclusio ex alio absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia, nimirum quod Filius non communicaret humanitati assumptæ personalitatem propriam, sed duntaxat subsistentiam absolutam & communem, quod etiam prorsus erroneum est. Sequela probatur: Quia tota vis generandi in Patre est Deitas & Paternitas illi solum tanquam conditio adiungitur, Pater non communicat Filio paternitatem, sed solum essentialitatem: Ergo similiter cum juxta Adversarios tota vis formalis & proxima terminandi humanitatem in Filio, sit subsistentia absoluta, & proprietates, seu relatio personalis Filii, ibi interveniat solum tanquam conditio, manifestè sequitur quod Filius solum communicavit humanitati subsistentiam absolutam, non verò propriam personalitatem, seu subsistentiam relativam & personalem.

16. Dico tertio: Licet Verbum Divinum terminet primò & immediatè naturam humanam per subsistentiam relativam & personalem, secundariò tamen & mediatè illam terminat per subsistentiam communem & absolutam, seu per naturam divinam.

Probatur primò: Humanitas est immediatè unita subsistentiæ personali Verbi, ut primà conclusione ostendimus: Sed cum hac est identificata subsistentia absoluta, & natura divina: Ergo illi mediatè unitur.

Secundò, Unio ista est cum Verbo ut persona divina: Ergo est cum Verbo ut subsistente in divina natura, & consequenter cum divina natura mediatè.

A Tertiò, Juxta frequentiore Theologorum sententiam, humanitas sanctifica a est formaliter à natura divina sub conceptu naturæ: Sed obque unione physica cum illa, saltem mediatè, non potuit humanitas à Deitate sanctificari: Ergo fuit unita Deitati mediatè.

Dico quartò: Quamvis subsistentia relativa Verbi Divini sit ratio formalis & proxima, quæ Verbum terminat humanitatem, nihilominus essentia divina, & subsistentia absoluta, imbibita in eadem subsistentia relativa Filii, possunt dici ratio radicalis & remota terminandi eandem humanitatem.

B Probatur breviter: Illud dicitur ratio radicalis & remota terminandi alienam naturam, ex quo tanquam ex radice oritur tota vis proxima & immediata terminandi: Sed tota vis proxima & immediata determinandi, quæ reperitur in subsistentia relativa Verbi Divini, oritur ab essentia divina, seu à subsistentia absoluta, in ipsa personalitate transcendentaliter imbibita: ideo enim subsistentia relativa Verbi Divini potest terminare naturam humanam, quia est infinita, & continet eminenter formaliter totam perfectionem personalitatis create: hæc autem infinita perfectio subsistentiæ relativæ provenit tanquam à radice ab ipsa essentia divina simpliciter infinita, & ab ipsa subsistentia absoluta, quæ transcendentaliter includuntur in subsistentia relativa & personali Verbi Divini.

§. 11.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES primò contra primam conclusionem: Verbum Divinum per illud prius terminavit humanitatem, quod prius illi tribuit: Sed prius tribuit humanitati esse existentiam absolutam & essentialem, quam esse personalem, seu modum existendi incommunicabiliter: Ergo prius terminavit humanitatem ratione existentie aut subsistentiæ absolutæ, quam ratione personalitatis, seu subsistentiæ relativæ. Major patet. Minor probatur, Verbum divinum id prius communicavit humanitati quod prius in se continet, sicut forma prius communicat subjecto illam effectum formalem quem prius in se continet: & lux prius communicat aëri esse lucidum, quam calidum, quia unum prius continet quam aliud. Sed persona Verbi divini prius in se continet existentiam aut subsistentiam absolutam, quam subsistentiam relativam & personalem; absolutam enim sunt in Deo priora relativis, maxime existentia, quæ est de conceptu quidditativo Dei, & quæ in ipso antecedit personalitatem: Ergo Verbum Divinum prius tribuit humanitati esse existentiam absolutam & essentialem, quam esse personalem, seu subsistentiam relativam & incommunicabilem.

B Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem: Nam Verbum Divinum prius naturam tribuit humanitati assumptæ subsistere quam existere; quia humanitas, & quæcunque natura creata, & substantialis, non est immediatè capax existentie, neque illam potest suscipere, nisi prius natura fuerit completa & intrinsecè terminata per subsistentiam propriam vel alienam: ut enim docet D. Thomas infra quæst. 17. art. 2. immediatum susceptivum existentie, non est natura, sed suppositum in natura subsistens. Unde ad probationem illius Minoris dicendum est primò, quod

quod quamvis Verbum Divinum prius in se con-
tineat existentiam, quam subsistentiam, non ta-
men prius illam communicat humanitati, quam
illam; quia humanitas non est capax recipiendi
existentiam, nisi prius fuerit completa per subsi-
stentiam.

Secundo dici potest, quod licet materialiter &
in ratione entis, existentia, sicut & sapientia, &
religae perfectiones essentialia, antecedit subsi-
stentiam relativam; formaliter tamen, & in ra-
tione termini, prior est personalitas, cum sit pro-
xima & immediata ratio terminandi humanita-
tem. Sicut diximus in Tractatu de Angelis, quod
licet substantia Angeli sit prior materialiter & in
ordine essendi, eius operatione virtualiter trans-
eunte; formaliter tamen & in ordine locandi,
prior est operatio quam substantia; quia in sen-
tentia D. Thomae, operatio est ratio formalis per
quam substantia Angeli praesens loco constitui-
tur.

Objicies secundò: Personalitas Verbi est idem
cum natura divina: Ergo non stat humanitatem
unius immediatè personalitati Verbi, & non
unius immediatè naturae divinae. Patet Conse-
quentia, quia inter omnino eadem non potest esse
mediatio.

Respondeo distinguendo Antecedens: Est
idem realiter & formaliter, concedo Antecedens.
Virtualiter, nego Antecedens, & Consequen-
tiam. Sicut enim distinctio virtualis, naturae à
paternitate, sufficit ut natura Patris communice-
tur Filio, & non communicetur paternitas: ita
virtualis distinctio filiationis à natura divina, est
sufficiens ut filiatione immediatè humanitatem ter-
minet, & non natura divina.

Dices, Personalitas Verbi prout est in re ter-
minat naturam humanam, & prout sic est idem
realiter cum natura divina: Ergo humanitas uni-
tur immediatè naturae divinae. Probatur Conse-
quentia, quia enim visio beatifica terminatur ad
Deitatem ut est in re, & Deitas prout sic non dif-
fert à relationibus, non potest non terminari ad
relationes, ut docuimus in Tract. de Visione bea-
ta. Ergo similiter, si humanitas unitur personali-
tati Verbi ut est in re, & prout sic est idem cum
divina natura, immediatè unitur naturae.

Respondeo concessio Antecedente, negando
Consequentiam: sicut enim licet natura divina
ut in re communicetur Filio, & in se sit idem rea-
liter cum paternitate, quia tamen prout in re, vir-
tualiter ab illa distinguitur, non communicatur
paternitas Filio. Ita quamvis personalitas Verbi
terminet prout est in re, & prout sic sit idem rea-
liter cum natura divina; quia tamen virtualiter ab
illa distinguitur, non sequitur immediata unio
humanitatis cum divina natura. Ad probationem
verò Consequentiae, concessio Antecedente, nego
Consequentiam, & paritatem: disparitas est,
quia in terminando visionem omnes Dei forma-
litates conveniunt, & sub eadem ratione illam
terminant, nimirum sub ratione veri transcen-
dentaliter & visibilis, quia ipsa essentia divina ha-
bet rationem objecti formalis, tam motivi quam
terminativi, respectu sui, attributorum, & re-
lationum: in terminando autem unibnem hu-
manitatis, omnes Dei formalitates non conve-
niunt, sed personalitas, prout ab essentia virtua-
liter distincta, terminat humanitatem; & ideo
potest personalitas immediatè terminare natu-
ram, absque eo quod natura eam immediatè
terminet, licet non possit videri essentia divina,
non visis relationibus & attributis.

Alia reperitur ratio discriminis, nam ut ali-
quid necessario debeat cognosci, alio cognito,
sufficit connexio intrinseca & formalis utrius-
que; non verò ut unum necessario terminet, alio
terminante: virtualis autem distinctio essentiae à
proprietas relativis, non tollit illarum neces-
sariam connexionem, imò nec intimam inclusi-
onem; & ideo licet virtualiter distinguantur, non
potest videri essentia, non visis relationibus; pos-
sunt tamen proprietates personales terminare
immediatè unionem humanitatis, absque eo
quod natura divina illam immediatè terminet.

Objicies tertio: Ex unione immediata huma-
nitatis cum Deitate, non sequitur unio personalis
cum tribus divinis personis, nec proinde tres
personas esse incarnatas: Ergo ruit praecipuum
fundamentum nostrae sententiae. Consequentia
patet ex supra dictis, Antecedens probatur. Pa-
ternitas intimè unitur cum natura divina, quam
humanitas; nam unio paternitatis cum Deitate
est per realem identitatem, non autem unio hu-
manitatis quae realiter entitative à Deitate distin-
guitur: Sed ex unione paternitatis cum deitate,
non sequitur quod si Deitas personaliter invenit-
ur in Filio, & de illo praedicatur, paternitas et-
iam personaliter Filio conveniat, & de illo pra-
dicetur: Ergo pariter ex unione immediata hu-
manitatis cum Deitate, non sequitur unio perso-
nalis illius cum tribus personis divinis.

Respondeo negando Antecedens, ad cuius
probationem, neganda est consequentia & pari-
tas: quod enim ex identitate paternitatis cum di-
vina natura, & naturae cum filiatione, non sequat-
ur identitas filiationis & paternitatis inter se,
provenit ex eo quod natura cum nullarum
opponitur, illae verò inter se opponuntur rela-
tive, ut docet D. Thomas 1. p. quaest. 28. art. 3. ad
1. & 2. argumentum, ubi ait quod quia potentia
& bonitas non important in suis rationibus ali-
quam oppositionem, ex identitate quam habent
cum essentia, colligitur inter se identificari, quae
tamen consequentia in paternitate & filiatione
non tenet, quia in suis propriis rationibus im-
portant oppositionem. Cum ergo humanitas
oppositionem cum proprietatibus relativis non
habeat, rectè inferitur ex eo quod huic Deo ut
communi tribus personis immediatè uniatur, &
de illo praedicetur, quod humanitas, mediatè
saltem, tribus personis uniatur, & praedicetur de
illis.

Objicies quartò: Ratione illius personalitas
Verbi terminat humanitatem, ratione cuius con-
tinet eminenter personalitatem creatam: Sed il-
lam continet ratione subsistentiae absoluta: Ergo
haec est ratio quae Verbum terminat humanita-
tem assumptam. Major videtur certa, nam sup-
plere effectum formae, solum convenit ratione
continentiae eminentialis: unde personalitas cre-
ata, ut infra dicemus, non potest alienam natu-
ram terminare, quia cum non sit infinita, non
continet eminenter personalitatem alienam. Mi-
nor verò probatur: Ratio continendi eminenter
personalitatem creatam, est infinita perfectio
personalitatis divinae: Sed perfectio infinita con-
venit personalitati Verbi, ratione subsistentiae
absolutae, aut naturae divinae, quam implicite &
transcendentaliter includit, ut in Tractatu de
Trinitate docuimus: Ergo subsistentia abso-
luta est ratio continendi eminenter personalita-
tem creatam.

Pro

Diff. 3.
Art. 5.

29.

Profolutione hujus argumenti duo breviter prænortanda sunt, seu ex Tractatu de Trinitate recolenda. Primum est, substantiam sumi dupliciter, primò pro perfectitate independentiæ ab altero ut sustentante, secundò pro perfectitate incommunicabilitatis alteri tanquam supposito; & in priori acceptione esse aliquid absolutum in Deo, nec convenire personis ratione proprietatis relativæ, sed tantum ratione substantiæ absolutæ; in secunda autem dici tantum relativè, non verò absolute in Deo, ut in Tractatu de Trinitate fusè ostendimus. Secundum est, personalitatem creatam ratione sui utramque istam perfectitatem præstare, cum enim suppositum creatum per se subsistat quoad independentiam, & incommunicabile sit alteri, tanquam supposito; & natura creata, ratione sui, nullà ex his perfectitatibus gaudeat, utramque præstat personalitas creata, prout à natura distincta. His præmissis.

Disp. 5.
Art. 2.

Ad argumentum respondeo, concessà Majori, negando Minorem, ad probationem, distinguo Majorem: Ratio continendi eminenter personalitatem creatam, quoad id quod est perfectio in illa, est infinita perfectio, concedo Majorem. Ratio continendi eminenter personalitatem creatam, quoad id quod in illa perfectionem non dicit, nego Majorem; & concessà Minori, nego Consequentiam. Nam personalitas creata, ut præstans independentiam à sustentante, perfectionem dicit, prout verò præstat incommunicabilitatem alteri ut supposito, perfectionem non explicat: licet autem ratio continendi eminenter perfectionem, necessariò debeat esse perfectio ratione sui, ratio tamen continendi eminenter id quod perfectio non est, potest esse id quod ratione sui perfectionem non dicit; ac proinde ratio continendi eminenter personalitatem creatam, ut præbet independentiam, est substantia absoluta; ratio verò continendi eminenter personalitatem creatam, prout constituit in esse incommunicabili, est substantia relativa, quamvis sub hoc conceptu perfectionem non explicet: nam sicut terminat ad intra naturam infinitam, licet ratione sui non explicet perfectionem; ita & potest habere vim infinitam terminativam ad extra, quamvis ratione expliciti perfectionem infinitam non importet. Substantia ergo relativa, ratione illius quod exprimit, non continet eminenter personalitatem creatam, sumptam adæquatè, sed solum quoad inadæquatam rationem, nempe incommunicabilis, & ratione hujus immediatè unitur humanitati, & est Verbo ratio subsistendi in illa.

30.

Objicies quintò contra secundam conclusionem: Et si essentia divina sit communis tribus personis, tamen prout est in Patre, & quatenus per relationem paternitatis modificatur, est principium generandi: Ergo similiter, quamvis substantia absoluta sit communis tribus personis, illa tamen prout est in Filio, & per relationem filiationis modificatur, erit ratio terminandi humanitatem, non verò substantia relativa Filii.

31.

Respondeo, concessò Antecedente, negando consequentiam, & parietatem: Ratio discriminis est, quia generare est agere, unde principium formale generandi debet esse aliquid activum, quale non est relatio, sed essentia divina ut habet adjunctam paternitatem: terminate verò naturam, non est formaliter agere, & ideo id quo fit talis terminatio, non est ipsa natura, nec forma, vel perfectio absoluta, sed substantia relativa

A Filii, quæ habet rationem puri termini. Objicies ultimò contra tertiam conclusionem: Si unio hypostatica secundario ad substantiam Dei absolutam, vel ad naturam divinam facta esset, Pater & Spiritus Sanctus, mediatè & per concomitantiam, possent dici incarnati: Sed hoc videtur absurdum & erroneum: Ergo &c. Sequelaprobat: Divinitas secundario dicitur incarnata, seu carni hypostaticè unita, quia realiter & substantialiter est in Filio, qui per primò incarnatus est, & cum illo identificatur. Atqui similiter Pater & Spiritus Sanctus ununtur & identificantur cum natura divina, & substantia absoluta, ad quam unio hypostatica secundario & mediatè terminata est: Ergo etiam Pater & Spiritus Sanctus debent dici secundario & mediatè incarnati.

Respondeo negando sequelam Majoris, ad ejus probationem, nego parietatem: Ratio discriminis est, quia natura divina, & substantia absoluta, realiter identificantur cum ipsa personalitate Verbi Divini, quæ est terminus formalis & primarius Incarnationis, ac pertinent intrinsecè ad suppositum Verbi Divini, ita ut personaliter non distinguantur; ex quo fit ut Deus, mediatè saltem & secundario, possit dici incarnatus. Ceterum Pater & Spiritus Sanctus realiter distinguuntur à Verbo, quod est terminus primarius Incarnationis, nec sunt idem cum illo secundum suppositum seu personam, sicut divinitas & essentia, seu substantia absoluta. Et licet cum natura divina & essentia seu substantia absoluta realiter identificentur, quia tamen hæc non per se primò & immediatè conjunguntur humanitati, sed ratione alterius, scilicet personalitatis Verbi, cum qua realiter identificantur, non possunt dici, etiam mediatè & secundario, incarnate: ad hoc enim requireretur, quod non solum cum termino secundario & mediato, sed etiam cum primario & immediato realiter identificarentur.

ARTICULUS II.

Utrum Verbum assumendo humanitatem non solum ejus substantiam, sed etiam illius existentiam suppleverit?

Negant Scotus, Suarez, Vazquez, & quicunque essentiam creatam non distinguunt realiter ab existentia. Et consequenter quidem non enim potest suppleri, nisi separando eam ab essentia: separari autem repugnat, si non distinguatur. Affirmant verò Thomista, & alii, qui realem distinctionem inter essentiam & existentiam agnoscunt. Unde sit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, Verbum non solum substantiam, sed etiam existentiam in humanitate Christi supplere; subindeque illam non per existentiam creatam & sibi propriam, sed duntaxat per divinam & increatam existere.

Probatur primò ex Epistola Sophronii, recepta & approbata à Patribus sextæ Synodi actione 11. ubi de Christi humanitate sic dicitur: *In illiusque (scilicet verbo) & non in semetipsa, existentiam habuit unam.* Ex quibus verbis hoc argu-